

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXVII. Gregorii Papae I. Ad Hospitonem Dvcem Barbaricinorvm. Vt  
ad Barbaricinos conuertendos solatia praebeat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

sticum inuenire potuero, in eumdem episcopum fortiter vindicabo. Iam vero si rusticus tantæ fuerit perfidiae & ob-  
Grat. 23. q.  
6. cap. 4.  
 stinationis inuentus, vt ad Dominum Deum venire mini-  
 me consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsa exactionis suæ poena compellatur ad rectitudinem festina-  
 re. Peruenit etiam ad nos quosdam de sacris ordinibus la-  
Grat. dist.  
50. cap. 9.  
 plos, vel post pœnitentiam, vel ante ad ministerii sui officium reuocari: quod omnino prohibuimus, & in hac re sa-  
 cratissimi quoque Canones contradicunt. Qui igitur post  
Iux. p. 6. c.  
78.  
 acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fue-  
 rit, sacro ordine ita careat, vt ad altaris ministerium vlti-  
 rius non accedat. Sed ne vñquam ii qui ordinati sunt per-  
 eant, prouideri debet quales ordinentur, vt prius aspici-  
 tur si vita eorum continens in annis plurimis fuit, si stu-  
\* al. le-  
ctionis  
 dium \* orationis, si eleemosynæ amorem habuerunt. Quæ-  
 rendum quoque est, ne forte fuerit bigamus. Videndum  
 etiam ne sine literis, aut obnoxius curia, compellatur post  
 sacram ordinem ad exactionem publicam redire. Hæc ita-  
 que omnia diligenter fraternitas vestra inquirat, vt, dum  
 diligenter quilibet exquisitus ordinatur, non celeriter  
 post ordinationem deponatur. Ea autem quæ fraternitati  
 vestræ scripsimus, cunctis sub vobis episcopis innotescite,  
 quia ego illis scribere nolui, ne honorem vestrum viderer  
 imminuere. Peruenit quoque ad nos quosdam scandaliza-  
Grat. dist.  
95. c. 9.  
 tos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in fronte  
 eos qui \* baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem se-  
 cundum usum veterem ecclesiæ nostræ fecimus: sed si om-  
 nino hac de re aliqui contristantur, vbi episcopi desunt, vt  
 presbyteri etiam in frontibus \* baptizatos chrismate tan-  
 gere debeant, concedimus.

EPISTOLA XXVII.  
 GREGORII PAPÆ I.

AD HOSPITONEM DVCEM BARBARICINORVM.

Vt ad Barbaricinos conuertendos solatia præbeat.

*Gregorius Hospiton duci Barbaricinorum.*

CVM de gente vestra nemo Christianus sit, in hoc scio  
 quia omni gente tua es melior, quia tu in ea Christia-  
 nus inueniris. Dum enim Barbaricini omnes vt insensata

*Concil. Tom. 13.*

Aaa

animalia viuant, Deum verum nesciant, ligna autem & lapides adorent; in eo ipso quod Deum verum colis, quantum omnes antecedas, ostendis. Sed fidem, quam percepisti etiam bonis actibus & verbis exequi debes, & Christo, cui credis, offerre quod præuale; vt ad eum quoscumque potueris adducas, eosque baptizari facias, & æternam vitam deligere admoneas. Quod si fortasse ipse agere non potes, quia ad aliud occuparis, salutans peto, vt hominibus nostris, quos illuc transmisimus, fratri scilicet & coepiscopo meo Felici, filioque meo Cyriaco seruo Dei solatari in omnibus debeas, vt dum eorum labores adiuvas, devotionem tuam omnipotenti Domino ostendas, & ipse tibi in bonis actibus adiutor sit, cuius tu in bono opere famulis solatiaris. Benedictionem vero sancti Petri apostoli per eos vobis transmisimus, quam peto vt debeat benigne suscipere.

*Mense Iunio, indictione duodecima.*

### EPISTOLA XXVIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD CANDIDVM DEFENSOREM.

Vt Albino luminibus priuato singulis annis duo tremisses  
præbeat.

*Gregorius Candido defensori.*

Ioan. diae.  
lib. 2. c. 55.

**N**ECESSITATEM patientibus pontificale conuenit ad esse subsidium. Pro quare experientia tua præsenti auctoritate præcipimus, quatenus Albino priuato luminibus, filio quondam Martini coloni, singulis annis duo tremisses sine aliqua dilatione præstare non desinat, non dubitatura suis hoc sine dubio rationibus imputari.

### EPISTOLA XXIX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IANVARIVM EPISCOPVM CALARITANVM.  
De episcopo ordinando in eo loco ubi pridem extiterat.

*Gregorius Ianuario episcopo Calaritano.*

**P**ERVENIT ad nos, in loco qui intra prouinciam Sardiniam situs est, & dicitur Phasiana, consuetudinem fuisse epi-